



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 3. An Charitas sit vna, & eadem in via, & in patria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

mutuam supernaturalem, quæ verè, & propriè inter Deum, & hominem intercedere potest: & hoc ad propriam amicitiam sufficit: vnde in Tridentin. sess. 8. cap. 1. Iusti simpliciter vocantur amici.

Triples est
amicitia.

3. Sed ut hæc ratione confirmetur, nonnulla notanda sunt. Primum est, triplicem esse amicitiam, vtilem, in qua amicus amatur propter utilitatem amantis; delectabilem, propter voluptatem; honestam, in qua amicus per se, & propter honestatem amatur: & hæc sola est perfecta, & simpliciter amicitia, quia hæc sola coniungit per veram benevolentiam.

Perfecta amicitia
subdistinguitur.

Alterum est ex Aristotele supra capit. decimo, hoc posterius genus amicitie duplex esse, vnum est æqualitatis simpliciter, quod est inter omnino æquales, alterum est excellentiæ, quod est inter personas quidem habentes communicationem, & convenientiam ad vnum finem honestum, constitutas tamen in diversa dignitate, inter quas non servatur æqualitas simpliciter, sed proportionalis, quia vnusquisque tribuit alteri id amoris, honoris, & officij, quod unicuique pro conditione sua convenit.

Probatur conclusio
primo.

4. His positis probatur conclusio. Primum. Inter Deum, & nos intercedit mutua benevolentia, quod ex parte Dei constat: amat enim nos, ut beneficiat: neque huic amicitie repugnat, quod velit Deus omnia nostra bona referri in gloriam suam; nam est etiam vltimus finis. Ex parte vero hominum supra ostensum est, quod possint Deum ex charitate diligere. Secundum hic mutuus amor satis constat, non quidem certa, & infallibili scientia, dum sumus in hac vita, sed probabili existimatione, quod in omni amicitia sufficit, id vero constat ex varijs Scripturæ testimonijs: nam *Deus diligentes se diligit*, vnde, quod Deum diligamus effectus est diuini amoris. Tercio communicatio ad amicitiam necessaria, hic etiam non deficit: nam licet inter nudam naturam hominis, & diuinam non reperiatur, inuenitur tamen sufficienter inter homines per gratiam eleuatos ad diuinum ordinem, & Deum: sic enim sunt, *diuina confortes nature*, & accepti ad eundem ordinem beatitudinis, quæ communicatio facit æqualitatem, si non simpliciter, saltem excellentiæ. Alio modo potest intelligi illa communicatio pro mutua beneficiorum collatione, & hæc non est ratio amicitie, aliàs non esset honesta, sed utilis, est tamen effectus, qui ex illa oritur, *amicorum enim omnia sunt communia*: hoc autem non deesse ex parte Dei in hac diuina amicitia per se constat: homines autem, etsi non possint conferre beneficia in Deum, tamen quoad possunt, præbent honorem, & gloriam: & proximis benefaciunt. Quarto amicitia efficit vnum, & velut ponit vnā animam in duobus corporibus, *qui autem adharere Domino vnus spiritus est*: quare nihil obstat, quod ad multos se extendat, quia primario est ad vnum, in quo, & per quem ceteri diliguntur. Quinto licet vera amicitia non sit propter utilitatem, vel voluptatem, tamen hos fructus secum affert: primum propter communicationem: secundum propter vñionem, & in vtroque excedit hæc amicitia: vnde illud, *Delicia mea esse cum filiis hominum*. Tandem oportet, ut vera amicitia sit stabilis: hæc autem de se ita stabilis est, ut sit, perpetua: ex quibus omnibus sic, hanc amicitiam non solum esse propriam, sed omnium perfectissimam, quia licet in æqualitate aliquando deficiat, tamen in reliquis conditionibus, longè multumque superat.

2. conclusio
declarando
patet.

5. Dico secundo. Hæc amicitia inter nos, & Deum ex parte hominis est ipsa charitas, aduertendum est ex Aristotele supra, amicitiam perfici in mutuo amore: vnde si vnus amet, non vero redametur, est quidem benevolentia: non vero amicitia. Oportet etiam, ut hic mutuus amor non lateat: nam si ignoretur, esto sit concursus amorum, erit tamè per accidens: at vero amor amicitie

postulat, ut sit alterius, tanquam redamantis: tam igitur si amicitia inter nos, & Deum significat eorum integrum vinculum, sic est quasi collectiuum nomen, charitatem Dei, & nostram comprehendens; si tamen significat id, quod ex parte nostra nos præstat in hac amicitia, illud est charitas, quia ut Aristoteles dixit libro octauo Ethicorum capite octauo: *Amicitia magis est amari, quam amare*, charitate verò amamus. Ex quo intelligitur hoc conuenire charitati per se; neque requirere longam consuetudinem: vnde etiam in paruulo habet eandem rationem: quod si non possit in actum prodire, oritur ex disputatione subiecti. Argumenta soluta sunt ex dictis.

SECTIO III.

Virum Charitas sit vna, & eadem in via, & in Patria?

Dico primo, eundem habitum charitatis, & speciem, & numero, qui habetur in via, conservari in Patria. Et communis Theologorum, & videtur expressa sententia Pauli primæ ad Corint. decimotercio, *Charitas nunquam excidit*, quod intelligendum necessario est de eadem charitate, & specie, & numero: alioqui etiam cognitio, & scientia non exciderent. Sed quæres. An idem sit in actibus amoris? Nonnulli Theologi id negant, ut Scotus in tercio distinctione trigesima prima, quæstione vnica, Lycherus ibidem, Capreolus in primo, distinctione prima, quæstione tertia, ad tertium Adami, contra quartam conclusionem, Caietanus prima parte, quæstione 82. articulo secundo. Contendunt enim Deum clare visum, & obsecrè, diuersas inducere rationes formales diligibilis obiecti. Primo, quia diuersa cognitio Dei, naturalis, vel supernaturalis, intellectualis, vel imaginaria parit actus amoris diuersos. Secundo in proposito possunt assignari diuersa obiecta formalia: Nam licet in patria vno actu videatur Deus, & tota eius perfectio, ita ad quare vno actu amatur propter omnem rationem, qua amabilis est, licet non totaliter ametur, at in via, quia non concipitur Deus vno actu nisi sub ratione vnius, vel alterius attributi per singulos actus quæ ali in ad quare amatur. Tercio amor Patriæ est necessarius: viæ autem liber. Quarto hi duo amores fuerunt simul in anima Christi: ergo distincti in specie.

2. Dico secundo. Charitas viæ, & Patriæ vna est non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum. Est communis Theologorum cum Magistro in tercio distinctione trigesima prima, & D. Thom. prima secundæ, quæstione sexagesima septima, articulo sexto, & fauent loca sacre scripturæ, & Patrum, qui dicunt charitatem eandem manere in via, & in Patria: nam potius de actibus, quam de habitibus loquuntur, atque ita etiam accipiendus est Paulus citatus. Ratio est, quia amor, ut sic, nullam imperfectionem essentiali dicit: ergo tantum differt in accidentali perfectione, quod ita explicatur. Nam ratio formalis obiecti in via, & in Patria est eadem, nempe diuina bonitas supernaturalis: differunt vero hi amores in cognitione talis obiecti: ergo solum in conditione sine qua non, & applicatione obiecti amabilis. Nec est simile de amore sensitivo, vel naturali, quia illius differentia ab amore spirituali, vel supernaturali non sumitur tantum ex cognitione, sed ex formali obiecto diuerso, quia semper diuersa ratio boni per has cognitiones applicatur: ut in prima secundæ ostensum est, & in tractatu de Anima agendo de distinctione potentiarum per obiecta. Deinde absentia, vel præsentia obiecti amabilis nihil refert ad amorem, quia ut ex prima secundæ constat, Amor abstrahit à præsentia, & absentia, & tendit in obiectum secundum

ad argumen-
ta opposita

De incarnat.
cap. 1. sect.
4. §. 1. ubi
dicitur de dis-
tinctione §.
1. ubi dicitur
de obiecto in-
finito.

Obiecto in-
finito.

concl.

Difficultatis
ratio.

Sententia Ca-
ret tribus re-
spondendi
modis con-
tinetur.

cundum se: illa autem differentia pertinent ad de-
ficiendum, & delectationem: unde desiderium, & spes
includunt essentiali imperfectiōem, & non ma-
nent in Patria, amor autem permanet. Imo mihi
certe probabilissimum est de facto Beatam Virgi-
nem in suo transitu actum diuini amoris non inter-
rupsisse, sed eundem numero in patria, quamuis ne-
cessario, & maiori perfectione continuasse. Et ut ad
argumenta opposita respondeamus in primis illa
differentia, quæ ex parte obiecti sumebatur in se-
cundo argumento, vera non est: nam in via potest
à nobis Deus amari vnico actu, non propter hoc,
vel illud attributum, sed simpliciter, quia est sum-
mum bonum infinite perfectum, & sufficiens ad
beandum hominem: hic ergo amor eiusdem om-
nino obiecti formalis est, atque adeo eiusdem speciei
cum amore Patriæ: unde potius hinc manet pro-
bata nostra conclusio. Quod si vnus, & idem ha-
bitus potest habere actus specie diuersos, tunc est
quando actus diuerso modo participant rationem
formalem obiecti, non autem sic est in proposito, &
tota differentia est in accidentalibus conditioni-
bus, sicut tertio loco obijciebatur in conditionibus
liberi, & necessarij, quæ eidem actui successiue com-
petere valent, vt agendo de moralitate actuum hu-
manorum notauimus. Quod vero obijciebatur de
Christo, suo loco exponitur.

3. Sed dices: si hæc vera sunt, feret, vt charitas
vix posset peruenire ad tantam perfectionem quā-
tam habet in Patria. Respondetur. Duplex est per-
fectio charitatis. Vna essentialis, quæ in eo consistit,
vt totum hominis affectum ponat in Deum, tan-
quam in supernaturalem finem vltimum, & conse-
quenter excludat omnem effectum peccati mortalis,
& in hoc charitas vix, & Patriæ sunt æquales:
imo omnis charitas vix etiam minima illam habet,
vt dicitur primæ Ioannis secundo, & quarto. Alia
est perfectio accidentalis, quæ partim in intensio-
ne, partim in vitandis peccatis sita est, & hæc ratio-
ne solent distingui tres gradus charitatis, incipien-
tem, proficientem, & perfectum, & in hac per-
fectione non est necesse, charitatē vix esse æqualem
charitati Patriæ: cum neque omnis charitas vix in
hoc sit æqualis: dubium autem esse potest, An sum-
ma charitas vix possit in hac perfectione æquari,
vel minimæ charitati Patriæ, quod in sectione se-
quenti expediemus.

SECTIO IV.

Virum aliqua Charitas Vie possit esse equalis
charitati Patriæ.

Ratio dubij est, quia præter essentiali maxi-
ma perfectio formæ est eius intensio, sed cha-
ritas vix potest esse intensior charitate Patriæ, vel
in eodem, vel saltem in diuersis subiectis: nam hæc
charitates sunt eiusdem rationis: at charitas vix
potest magis, ac magis intendi: in qualitatibus au-
tem eiusdem rationis, si vna semper augeatur po-
test peruenire ad alterius quantitatem eamque supera-
re. Caiet. igitur, vt huic difficultati, satisfaciat de-
datq; charitatem vix, nunquam æquari charitati
Patriæ multa scripsit in secunda secundæ, quæ sit. vi-
gesima quarta, articulo septimo, & inter alia assert
tres modos, quibus charitas vix nunquam est ita
intensa, vt charitas Patriæ. Primus est, quod in qua-
litatibus animæ duplex est intensio: vna ex parte
subiecti seu potentie magis conantis, altera ex par-
te obiecti melius propoliti, & hanc dicit esse diuer-
sæ rationis in charitate vix, & Patriæ, & ideo nun-
quam posse esse æquale, qui modus illi non placet,
quæ saltem sequitur in priori intentione posse esse æqua-
litatem, sed neque etiam verus est, quia re vera istæ
non sunt duæ intentiones, sed explicant duas radi-

Suarez de Charitate.

ces intentionis, vt patet exemplo Caiet. Visio enim
quæ est intensior, quia visus magis conatur, vel quia
obiectum propinquius est, eiusdem rationis est, cum
efficiat eundem effectum formalem in visu, & simi-
le est in agentibus naturalibus, quæ interdum agunt
intensius, quia applicant maiorem vim: interdum,
quia passum minus resistit: tamen intensio formæ
semper eadem est: imo si proprie loquamur, nun-
quam hæc maior intensio est sine maiori conatu po-
tentie, quia non posset esse effectus perfectior, nisi
causa magis influat: solum est differentia, quia hic
maior conatus interdum adhibetur propter excel-
lentiorē virtutem actiuam, interdum propter
commodam obiecti applicationem, aut minorem
passi resistantiam. Dices: interdum ratione mediij,
vel luminis, actus videndi est ita perfectus, & inten-
sus, vt non possit potentia cū minori lumine, quan-
tumuis conetur, actū ita intensum efficere. Respon-
deo, in potentij cognoscitiuis obseruanda esse duo:
primum est, eas non esse integram potentiam fluo-
rum actuum, sed iuuari ab obiectis, & speciebus:
vnde sit, vt obiectum ita adiuet potentiam ali-
quando producendo speciem imperfectam, vt po-
tentia cum specie minus perfecta, nunquam possit
tam intensum actum efficere, non propter inten-
sionem diuersæ rationis: sed quia potentia
non potest amplius conari: quia non amplius
iuuatur. Secundum est in actibus aliud esse clarita-
tem, aliud intensiōem, & claritas sæpe sumitur ex
medio, & ideo si illud sit imperfectum, actus non e-
rit tam clarus, quamuis sit tam intensus: quæ ta-
men duo in actibus voluntatis non habent locum,
de quibus modo loquimur.

2. Secundus modus Caietani est: quia intensio-
nes charitatis in Via, & in Patria sunt omnino di-
uersæ rationes: & in Patria est altioris ordinis: &
ideo quantumuis intensio vix crescat, nunquam il-
luc peruenit. Assumptum dupliciter declarat, pri-
mo, quia status Vix, & Patriæ sunt diuersarum ra-
tionum: vnus naturalis charitati, alter quasi super-
naturalis: vnus quasi ætas puerilis, alter virilis: de-
niq; sunt via, & terminus, quæ sunt diuersarum ra-
tionum. Secundo, quia charitas Patriæ altiori, &
eminentiori modo continet omnes perfectiones
charitatis Vix, & excludit omnes imperfectiones,
& addit multas perfectiones: hoc autem est signum
perfectionis alterius ordinis. Antecedens patet: quia
in Patria est subiectum altiori modo dispositum, &
obiectum etiam altiori modo applicatum.

3. Dico primo: charitas Vix, & Patriæ habent gra-
dus intensiōis eiusdem omnino rationis inter se.
Probatur primo, Nam vel loquimur de intensiōe,
vt significat motum: vel aliquid productum in qua-
litate intensa: hoc secundo modo idem gradus in-
tensiōis non solum specie, sed etiam numero, qui
erant in via manent in Patria, siue alij ibi addan-
tur, siue non: antecedens patet, quia manet idem
numero habitus: ergo, & gradus intensiōis: nam
hi gradus, vel non sunt nisi designatione mentis, vel
si re ipsa distinguuntur, sunt quasi partes entitatis
illius habitus: vbi autem totum idem numero ma-
net, manent eodem numero partes. Secundo effe-
ctus formalis charitatis vix, & patriæ, est idem, quia
vna forma non habet nisi vnum effectum formale,
eum ille non fit, nisi ad hæc, & informatio formæ
in subiecto: ergo & intensio est omnino eadem: nam
hæc non distinguitur ab ipsa forma, & effectu eius:
quæ ratio generaliter probat non nisi vnicam ratio-
nem intensiōis posse intelligi in forma, quæ vna
est, & eidem subiecto tota inhæret. Tertio Gratia,
quæ est in essentia animæ, eandem intensiōem ha-
bet in Via, & Patria, cum illa (vt pote distincta à cha-
ritate ex opinione etiam Caietani) non respiciat
obiectum, vnde fingi possit illa duplex intensio, er-
go idem erit de charitate, quia gratia proportiona-

Ll 2

tur.

Relictur.

Obiectio.

Responsio.

2. Caiet. mo-
dus.

Declaratur i.

1. conclusio.

Probatur 1.

2.

3.